



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XLIII. Quem effectum habeat in mentibus Beatorum lumen gloriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Suppl. Gab.

d. 49. quæst. 2. art. 1. conclusio 2. Supplementum Gabriels quæst. 2. art. 3. dubitatione 2. tamen puer hunc habitum luminis non esse ab habitu caritatis distictum, ut idem Gabriel iam citatus in 3. sentent. docuerat. Cum his denique facit Marfilus loco citato in precedenti capite. Quocirca Caiet. sententiam Scoti, qui videtur sub quadam conditione negare habitum luminis gloriæ, ut cap. 1. vidimus, putat esse damnatam.

Fundamentum huius sententia.

Probant vero hanc sententiam idem Caietanus, Ferraricus, & Sotus, quoniam Concilium Viennense in prædicta Clementina videtur diremisse controuersiam, quæ inter Scholasticos antea verlabatur: hæc autem erat de habitu luminis gloriæ: ergo definitio Concilij de illo debet intelligi: sicut etiam in eodem Concilio definitum esse videtur (inquit Sotus) paruulis in baptismo infundi gratiæ, & virtutum habitus, de quo etiam tunc varia erant Theologorum placita.

Sententia auctoris.

Ego vero recentiorum Theologorum communem opinionem veritiorem censeo, qui docent in ea Clementina non esse quiddam de habitu luminis gloriæ definitum, id quod nonnulli putant Dominicum Sotum sensisse: sed reuera nihil aliud ipse asserit, quam opinionem hanc recentioribus Theologis magis probari. ex auctoribus vero in precedenti c. citatis nullus est alius, qui huius rei mentionem faciat: solum docent hunc habitum luminis gloriæ mentibus Beatorum infundi: an vero sit ita in Ecclesia definitum, nec affirmant, neque negant. Sotus est Scotus, qui eam probabiliter existimet, imo multo verius, lumen gloriæ non esse necessarium, si visio à solo Deo producitur, asserere quoque debet non esse certum de fide talem habitum infundi.

Nihil de habitu luminis gloriæ esse definitum.

Ceterum nihil Concilium definisse probatur, quoniam id solum dammare, oppositumque definire voluit, quod Beguardi & Beguine dicebant: illi autem soli errabant, quod assererent Deum sine vlla alia ope, & auxilio, vi solum intellectus humani videri posse: ergo nihil aliud definire voluit, quam quod intellectus creatus virtute sua id non valeat: ac proinde indigeat peculiari auxilio Dei, quod ad tale munus eleuetur. An vero id per habitum, vel solum peculiari Dei concursu supplente vicem illius fieri possit, non curat Concilium. Porro optime posse intellectum à Deo eleuari sine habitu solo peculiari concursu, & auxilio disp. 46. demonstrabimus. Nec minus ab errore Beguardorum & Beguardorum distat, qui docent visionem claræ Dei ab ipso solo produci, & in intellectu nihil ad ipsam operante recipi. Hi enim non solum non dicunt virtute propria intellectus Deum à Beatis videri, sed etiam, dum asserunt visionem à solo Deo produci, optime quoque affirmare possunt intellectum lumine diuino ad videndum Deum eleuari, non quidem ad eliciendam visionem, quasi lumen ab ipsa visione sit aliquid diuersum, & principium illius, sed quia ipsamet visio est illustratio, & illuminatio quædam: sumque illa à Deo solo producat sine vlla intellectus cooperatione, vel concurrente simul intellectu sine habitu; sic, ut optime dicatur eleuari, ut Deum videat, vel ad videndum Deum peculiari Dei lumine, seu illustratione indigere. Scilicet igitur Durandus contra definitionem Clementinæ docuisse videtur, cum asseruit, virtute propria solo extrinseco impedimento sublato, intellectum nostrum posse

Deum clare intueri, ut iam supra notatum est.

Ex his quæ dicta sunt respondetur ad argumentum prioris sententia: neque enim Ecclesia dirimere voluit Scholasticorum controuersiam de habitu luminis gloriæ, cum huius nunquam fecerit mentionem; sed damnare errorem Beguardorum, & Beguardorum, quem inter alios eorundem retulerat: ad hoc autem sufficit, si definitur ab intellectu humano propria ipsius virtute Deum videri non posse, nisi aliquo lumine, vel habitu, vel actus eleuetur. Neque vero de habitibus infusis virtutum quiddam definiuit ibi Concilium: quinimo in cap. Maiores, de Baptismo, & eius effectu Innocentius tertius testatur de ea adhuc inter Scholasticos esse controuersiam: & in Clementina vnica de summa Trinitate, & fide Catholica in eodem Concilio Viennensi, ut probabilior solum referretur sententia, quæ asserit in Baptismo infundi habitus. An vero in pueris baptizatis, & ijs, qui ex opere operato in Sacramento iustificantur, certum sit, & de fide, dari habitum aliquem gratiæ, vel caritatis, licet non omnium virtutum etiam Theologicarum, dicemus in 1. 2. quæst. 113. art. 2.

Ceterum nonnulli Scholastici secuti Capreolum contendunt ex Scriptura colligere habitum luminis ad videndum Deum. Primum ex illo Psal. 35. Quoniam apud te est fons vite, & in lumine tuo videbimus lumen. Verum inde nihil probari potest: si enim sequamur expositionem quorundam, qui dicunt lumine ibi fauorem significari, iuxta illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, hoc est, ostendisti nobis vultum hilarem; sensus erit, in tuo lumine, hoc est, fauore, videbimus lumen, hoc est, prosperitatem, quæ lucis nomine in Scriptura etiam significatur. Sed si communiori expositionem sequamur, quæ illud intelligit de visione Dei in alia vita, non opus est per lumen intelligamus habitum distinctum ab ipsa visione, sed ipsa etiam visio, lumen, & illustratio recte vocari potest. Nam apud sanctos Patres, & Scripturæ cogitatio dicitur quædam illustratio mentis, quia ea aliquid fit manifestum.

Deinde probant idem ex illo: Cuius illa non eget Sole, & Luna, sed claritas Dei illuminabit illum. Verum ego nescio, qua ratione inde habitum colligere liceat. Nam, ut modo dicebamus, ipsa quoque visio, illustratio, & lumen recte appellatur. Dicitur autem claritas Dei, quia est donum ipsius, quam ab eius lumine inaccessiblei veluti mutuum lumen accipimus.

Ratio igitur potissima, ob quam dicendum est, infundi habitum luminis ad videndum Deum præter auctoritatem Scholasticorum, hæc est: ut intellectus videns Deum in se habeat formam permanentem, quæ per modum secundæ causæ connaturaliter operetur; nam licet solo auxilio Dei posset, ut disput. 46. dicemus, ille tamen modus operandi potius esset velati instrumenti, non connaturalis. Melius ergo est asserere habitum luminis gloriæ intellectibus beatorum infundi, ut eo roborati visionem Dei connaturaliter per modum secundæ causæ in seipsis operentur.

DISPUTATIO XLIII.

Quem habeat effectum in mentibus Beatorum lumen gloriæ.

Opinio Richardi, & aliorum, cap. 1.

Quid Capreolus, & alij Thomistæ senserint, cap. 2.

Ostenditur contra Capreolum habitum luminis gloriæ

Soluitur ratio prima sententia.

Innocent. 3.

Obijciunt ex Scriptura & Psal. 35.

Explicatur locus Psal. 4.

Apocal. 22. Secundo obijciunt locum Apocal. 22. Solutio.

Fundamentum potissimum ad probandum habitum luminis gloriæ infundi.

rie superfluum esse, si essentia diuina suppleat vices speciei, cap. 3.

Alia via idem ostenditur, cap. 4.

Postremo sententia Capreoli impugnatur, cap. 5.

Intellectum solo lumine glorie esse integrum principium visionis auctoritate probatur, cap. 6.

Eadem sententia ratione confirmatur, & explicatur amplius, cap. 7.

Diluuntur argumenta, quibus probatur lumen glorie supernaturalem esse, cap. 8.

CAPVT I.

Opinio Richardi, & aliorum.

Tamen si Scholastici omnes præcedenti dispositione citati constanter assentient intellectum beatorum habitu luminis glorie prædicum esse; variant tamen in assignanda ratione, seu causa, ob quam talis habitus sit necessarius; quorum sententias cum suis fundamentis placitum sigillatim referre, vt ex illis probabiliorē facile colligamus.

Ad recipiendum visionem quidam dicunt esse necessarium lumen. Richard.

Marfil.

Gabr.

I.

Maier.

Fundamentum huius sententiae. Scotus.

Scotus.

Durandus.

Compositio prædicta. Scotus.

Solutio. Caietani.

Prima igitur esse videtur eorum, qui docent talem habitum necessarium non esse ad eliciendam visionem, sed vt intellectum disponat, & reddat idoneum ad eam recipiendam. Sic tradit Richardus citatus præced. disp. c. 1. si sequamur sententiam, quæ asserit visionem à solo Deo produci, in quam ipse vehementer inclinat. Idem aperissime affirmat Marfilus in 3. q. 10. art. 2. 1. par. concl. 1. qui absolute defendit visionem à solo Deo effici. Id ipsum dicere debent, quot quot existimant visionem non esse ab intellectu efficienter; tamen si Gabriel ibidem etiam citatus, qui hoc ipsum de visione sentit, de effectu ad quem ponitur lumen glorie nihil dicat. Denique Maier in 1. dist. 1. 14. quæst. 2. dub. 2. & in 4. d. 49. quæst. 4. cum doceat visionem non à solo Deo, sed ab intellectu etiam produci, nihilominus habitum luminis glorie solum ad disponendum, & aptandum intellectum, vt visionem recipiat, necessarium esse aumat.

Respondet aliquis ex doctrina Caietani in artic. 5. §. Ad primum horum, qui quamvis hanc Richar-

Valquez in 1. part. Tomus I.

di, & Nominalium sententiam non prober, aliam tamen Thomistarum amplectitur, contra quam argumentum factum eodem fere modo pugnat: itaque respondebit propositionem illam: Omne, quod recipit formam supernaturalem, disponi debet per aliam formam supernaturalem, solum esse veram de forma supernaturali, quæ est terminus generationis supernaturalis, non autem de illa, quæ est via ad terminum. Sicut gratia, quæ est veluti terminus generationis supernaturalis medijs dispositionibus eiusdem ordinis in subiecto recipitur. Eodem modo, qui hanc sententiam de habitu luminis sequuntur, in propofita difficultate dicere possent, illum quidem esse necessarium ad reddendum idoneum subiectum, vt visionem recipiat, quia visio est veluti terminus generationis supernaturalis; ad recipiendum vero ipsum lumen non requiri aliam dispositionem, quia ipsum est natura sua dispositio: dispositioni autem non est necessaria alia dispositio.

Hec doctrina firmum non habet fundamentum: quoniam licet inter formas substantiales, & accidentarias hunc ordinem reperiamus, vt accidentaria dispositio ordinetur ad substantialem, quia substantia accidentibus conseruatur, ne à contraria corrumpi possit: in accidentibus tamen siue naturalibus, siue supernaturalibus hunc ordinem suapte natura constituere non est necesse: sed subiectum ex se idoneum est, vt recipiat quamcumque formam accidentariam, nisi quando vnum accedens medio alio inest substantiæ. Tunc enim illud, quo medio in substantia aliud recipitur, est veluti dispositio ad illud. Hoc modo quantitas comparatur albedini, & alijs corporeis qualitatibus: & potentia seu facultas cognoscens habitui operanti. At visio, vt recipiatur in anima medio intellectu, non eget aliquo habitu: frustra igitur ponitur lumen glorie, vt dispositio illius. Quare absque fundamento respondent aduersarij visionem esse veluti terminum generationis, ideoque, vt in subiecto recipiatur, habitu luminis indigere.

Neque vero exemplum gratiæ habitualis, quæ in anima recipitur medijs dispositionibus, quidquam probat; primum, quoniam si instar illius de lumine glorie nobis esset dicendum, potius deberemus asserere, ipsum lumen glorie recipi media visione, sicut gratia habitualis media contritione, quam contra. Habitus enim in vniuersum non ponitur ad recipiendam operationem, sed potius operatio ad habitum; vt præclare notauit Scotus in 3. d. 14. q. 2. §. In prima questione. Imo addit habitum solum esse ponendum propter actum, & operationem, quæ transit; non propter actum, qui permanet, qualis est visio: in quo tamen fallitur: nam & ipse constituit caritatem in voluntate, cum tamen dicat illius operationem perpetuo in patria permanere.

Deinde dispositiones ad gratiam non sunt ex natura rei, sed ex Dei ordinatione requisitæ. Quocirca paruulis infunditur gratia absque vlla ipsorum dispositione: de habitu vero luminis glorie non constat Deum illum ita ordinasse, vt esset moralis dispositio ad recipiendam visionem: imo non videtur, qua ratione institui posset per modum moralis dispositionis, sicut instituta sunt actiones penitentis: has enim merito postulat Deus, vt gratiam habitalem infundat. Institutum enim est, vt qui propria voluntate peccant, pro-

Impugnatur.

3

Doctrina notanda.

4

T 3

pria

pria etiam voluntate Dei auxilio excitata, ab ipso veniam peccatorum, & habituales gratias impetret. Atque ex dictis solum manet fundamentum huius sententiae.

CAPVT II.

Quid Capreolus, & alij Thomista sentierint.

Lumen glorie requiritur ad roborandum intellectum, ut efficiat & uniatui essentia per modum speciei.

Capreolus.
Sec.
Caietan.
Ferrar.

Perulgata, & communis opinio Thomistarum duos alios effectus adscribitur lumen glorie. Vnus est disponere intellectum, ut essentiam diuinam recipiat loco speciei intelligibilis impressae, quae sit principium proximam eliciendae visionis. Alter est roborare, & instruere intellectum ad videndum Deum; ad cuius visionem, ut principium efficiens etiam concurrat. Est expressa sententia Capreoli in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 1. conclus. 2. art. 3. ad 1. Scoti contra 2. concl. Caietani in art. 5. Ferrar. in 3. contragent. cap. 54. Scoti in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 4. & aliorum recentiorum Thomistarum. Imo vero quibuldam videtur esse S. Thomae in hoc art. 5. & a. 2. huius quæstionis, & vbi cumque de hac sermone instituit.

Sententiam prædictam esse mentem. S. Thom.

Hæc sententia tanquam notum, & in doctrina S. Thomae tritum axioma supponit, diuinam essentiam in locum speciei impressae substitui, & intellectui beatorum vniri, ac proinde cum intellectu concurrere ad eliciendam visionem non solum generali quadam ratione sicut cum alijs causis ad suos effectus, sed proxime, & proprie, sicut species impressa facultatem cognoscentem mouet ad cognitionem. Id vero colligitur ex eo quod S. Doctor sæpenumero dicit essentiam diuinam esse per se formam intelligibilem.

Prima ratio pro prima parte sententiae.

Hoc autem supposito probatur lumen glorie ad illos duos effectus necessarium esse: primum ad recipiendam essentiam diuinam loco speciei: quia quoties subiectum aliquod eleuatur ad aliquid supra suam naturam, debet aliqua dispositione eiusdem Ordinis aptari: sed intellectus beati eleuatur, ut habeat Deum sibi vnitum tanquam speciem, & formam intelligibilem, quod est supra suam naturam: ergo indiget lumine glorie tanquam dispositione, ut ipsum recipiat.

Secunda sententia pars probatur primo.

Deinde necessarium esse lumen, ut reddat intellectum efficacem ad eliciendam visionem, bifariam probant. Primum, quia, ut ait Scotus ad visionem duo necessaria sunt. Vnum est virtus potentiae, alterum est vnio obiecti cum potentia per se, aut per sui similitudinem. Virtus autem seu efficacia facultatis cognoscentis prior est quam vnio obiecti cum illa: imo ad hoc requiritur, ut obiectum cum ea vniri possit. Quocirca quopiam facultas sentiendi virtutem non habet cognoscendi spiritualia, eorum species ad intelligendum recipere non valet: sic ergo cum intellectus noster ex se virtutem, & efficaciam non habeat videndi Deum sicuti est, recipere nequit speciem essentiae diuinæ, aut ipsum Deum loco speciei, ut eum clare videat: oportet igitur prius aptari lumine glorie, & eo futurum fieri, ut recipere valeat essentiam Dei in actu primo ad intelligendum. Deinde id probatur, quoniam quamuis Deus posset solo suo auxilio intellectum eleuare, ut Deum videret; tamē, ut intellectus in se habeat principium inherens quo possit connaturaliter intueri Deum, ut secunda & propria causa, nec tantum per modum instrumenti peculiari concursum Deo eleuatur requiritur habitus luminis glorie, quod sit principium cognitionis.

Secundo idem probatur.

CAPVT III.

Ostenditur contra Capreolum habitum luminis glorie superfluum esse, si essentia diuina suppleat vices speciei.

Hæc sententia duo docet, quæ inter se minime coherent: tum essentiam diuinam secundum se suppleere omnem locum speciei, tum etiam dari habitum luminis glorie, ut efficacem reddat intellectum: alterum enim horum superfluum esse videtur. Aut enim essentia diuina est principium proprium, & proximum efficiens visionem, aut ipsa non producit sicut propria causa cum intellectu visionem, sicut quidam in vniuersum de speciebus impressis in quavis facultate ad cognoscendum philosophantur, asserentes solum esse conditionem requisitam ex parte obiecti. nihil tamen efficacitatis intellectui conferre. Dixi, sicut propria causa, nam essentia diuina non potest non visionem producere generali quadam ratione, & efficacitate, sicut cætera omnia ab ipso, ut ab efficienti pendent.

Si essentia diuina solum hoc modo generali efficiat visionem, non sicut obiectum, & propria causa illius, quamvis recte dici possit essentiam per lumen glorie vniri nostro intellectui, ut sequenti capite monstrabimus; sequitur tamen non gerere vicem speciei impressae, sed tantum esse obiectum cuius genere cognitum. Aut enim receptio speciei est ipsa visio, & hoc præterquam quod falsum est in omnibus alijs speciebus rerum creaturarum, tum quia visio ab ipsa specie impressa distinguitur, tum etiam, quia visionem ipsam intellectus producit, & efficit, speciem autem impressam solum recipit: essentia diuina hoc modo locum speciei suppleere non posset. Species namque cum re ipsa recipiatur in intellectu, posset ipsum formaliter reddere intelligentem, & videntem: at vero essentia diuina, cum non inhaereat, sed solum afflatur intellectui, talem effectum præstare nequit, nisi aliquid aliud efficiat, & producat, nempe visionem.

Aut species impressa est solum conditio determinans intellectum, ut res videatur, ita tamen ut visio distingatur ab ea: atque hoc etiam falsum est. Primum, quia de habitibus idem possemus asserere, esse nimirum solum conditionem sine qua non operationum, & in vniuersum de qualibet re, qua posita aliud sequitur, & ablata aufertur; quod est confundere omne genus causæ efficientis cum conditione. Tum etiam quia si species impressa esset conditio, ea solum ratione esset, ut quidam asserunt, quia in ipsa veluti in speculo relaceret obiectum, & in ea videretur: at hoc commentitium est: neque enim res in specie impressa videtur, sed in expressa, quam dicimus esse ipsam visionem: alioquin species impressa semper moueret, & excitaret ad cognitionem, quod est falsum. Adhuc etiam si species impressa esset conditio sine qua non: adhuc hoc modo essentia diuina non posset suppleere vicem ipsius. Nam species impressa aliarum rerum inhaerent potentia: quare possent sua inhaerentia intellectum per modum conditionis determinare: at essentia diuina, cum solum afflatur, etiam si sit conditio sine qua, non ipsius visionis, non potest esse per modum speciei, sed sicut obiectum in vniuersum est causa, aut conditio suæmet cognitionis: frustra igitur essentia diuina dicitur vniri intellectui per modum speciei, si peculiarem non habet efficacitatem.

Essentia diuina si non concurrat specialiter ad visionem, non videtur speciei.

Essentia diuina non reddit intellectum beati formaliter intelligentem.

8

Non conuenit in ea obiectum, sicut in speculo.

tem in ipsam visionem, qualem habet species, sed
solum, ut obiectum intellectum determinat, ac
proinde potius erit res cognita, & obiectum, sicut
reuera est, quam locum suppleat speciei.

Caietan.

Denique si species intelligibilis impressa dica-
tur esse principium intellectus eo modo, quo
putauit Caietan. in art. 3. huius quæst. circa solutionem
tertij, per modum formæ dantis esse, ita ut intelli-
gere sit veluti esse speciei intelligibilis; adhuc de-
fendi non potest, essentiam diuinam esse loco spe-
ciei, si principium efficiens proprium, & proxi-
mum visionis ipsa non sit. Quoniam, sicut esse non
sequitur, nisi formam inherentem, sic etiam neq;
intelligere sequi poterit speciem nisi informan-
tem, si intelligere est actus veluti substantialis spe-
ciei. Nec quidquam refert si dicatur, esse eff. ctum
in genere intelligibilis, non in genere rei: nam ut
esset effectus speciei, & non veluti à forma inher-
ente, & dante esse, reliquum est, ut ab ea tanquam
ab efficiendi deriuaretur. Manet igitur probatum,
essentiam diuinam non supplere locum speciei
intelligibilis, si ipsa peculiari ratione, tanquam
proximum, & proprium principium non efficiat
visionem.

CAPVT IV.

Alia via idem ostenditur.

si diuina es-
sentia gerit
in se ipse lo-
cum speciei,
supernatura-
lem ipsi lu-
mini gloriæ.

Ceterum si dicamus, produci visionem ab es-
sentia diuina, non solum sicut ab vniuersali
rerum omnium causa, sed etiam, ut à proprio prin-
cipio, adhuc facile ostendi potest, aut ipsam essen-
tiam diuinam non subrogari in locum speciei, aut
habitum luminis gloriæ supernaturalem esse: si
enim essentia diuina supplet locum speciei, non
videtur quem habeat effectum lumen gloriæ in in-
tellectu beati. Primum non feruit ut reddat ido-
neum intellectum ad recipiendam ipsam essen-
tiam, tanquam formam supernaturalem: tum quia,
ut præcedenti e. probatum est, forma supernatura-
lis suapte natura non indiget dispositione aliqua,
tum etiam, ut essentia diuina indigeret disposi-
tione ex parte nostri intellectus, ipsa essentia diuina
deberet esse forma inherens, cum igitur non pos-
sit inesse, sed tantum intell. ctui assistere, frustra in-
tellectus dispositione aliqua aptari debet, nisi sal-
tem ratione effectus illa sit necessaria: effectus au-
tem, qui est ipsa visio, non indiget lumine gloriæ,
ut in intellectu recipiatur, sicut iam cap. i. demon-
stratum est: ergo neque essentia diuina, ut assistat.
Et ex his ratio prima oppositæ sententiæ soluta
manet.

Deinde necessarius non est habitus luminis, ut
efficacitatem tribuat intellectui; quo diuinam es-
sentiam loco speciei impressæ recipere possit, ut di-
cebat Sotus in secunda ratione: nam quamuis in
facultate cognoscente necessaria sit virtus, & effi-
cacia ex genere suo circa aliquod obiectum, ut il-
lius speciem recipere queat: propter quod audi-
tus speciem coloris, & sensus speciem intelligibi-
lem non valet recipere: ad hoc tamen satis est, si fa-
cultas ipsa virtutem habeat ex se circa illud obie-
ctum non determinatum, sed in genere, circa obie-
ctum in vniuersum, etiam si indigeat compleri ab
aliquo extrinseco aduenienti circa hoc, & illud
obiectum particulare: veluti sensus visus, ante aquâ
recipiat speciem albedinis, habet efficacitatem ex
se, non quidem completam, & determinatam circa
albedinem, ut ipsam videre possit, sed generalem

circa colorem in vniuersum, ita ut compleri de-
beat hac, vel illa specie, ut hoc, vel illud obiectum
videre valeat: ergo, ut intellectus noster recipiat ef-
ficientiam Dei per modum speciei, vel speciem illius,
non opus est ex se habere virtutem effectiue de-
terminatam, & completam circa ipsum Deum, ut
Deum videre possit: sed satis est, si in genere eam
virtutem habeat: quia scilicet ex se vim habet in-
telligendi quoduis intelligibile, ita tamen, ut eius
efficacia peculiaris specie circa hoc, vel illud obie-
ctum compleatur. Si vero tota vis, & efficacitas ad
videndum Deum ab extrinseco aliquo, intellectu
nostro proveniret, posset quoque quævis alia fa-
cultas, nimirum sentiens, ab extrinseco aliquo vir-
tutem recipere, ut Deum videret, & essentiam il-
lius loco speciei reciperet, quod est absurdum.
Quod si nulla ratione id fieri potest, ideo est, quia
facultas sentiens ex se nullam omnino habet vir-
tutem, & efficacitatem, adhuc in genere, sub qua
visio Dei contineatur: quare nec specie aliqua, nec
ipsa essentia diuina loco speciei, potest compleri,
ut Deum ipsum clare intueatur.

Intell. ctus
noster ex se
quid possit ad
Deum videndum.

Ex his etiam perspicue patet, quam friuola sit
secunda ratio oppositæ sententiæ, qua vitur Do-
minicus Sotus, qui ait necessarium esse habitum
luminis, ut intellectui nostro efficacitatem, & vir-
tutem tribuat, qua essentiam diuinam loco speciei
recipere valeat.

Quocirca, & quorundam recentiorum opinio,
qui dicunt facultatem intellectus nullam de se ef-
ficacitatem, neque eam, quam vocant partialem
habere ad videndum Deum, & ad actus superna-
turales, sed totam habere à lumine, vel forma su-
pernaturali sibi infusa; eodem modo tanquam fal-
sa rejicienda est: nam ex ea primum sequitur, actum
charitatis in via nullo modo procedere, ut à prin-
cipio efficienti, à virtute natua voluntatis, sed to-
tum sub omni ratione esse à principio super natu-
rali ab extrinseco infuso: quare nec operatio vita-
lis, nec libera, nec meritoria esse potest: hæc enim
omnia à natua principio vitæ sub hac ratione na-
tura sua ita postulant produci, ut à solo Deo fieri
non possint.

Opinio recentiorum re-
fellit.

Deinde, cum visio beatifica sit intellectus quæ-
dam, non potest non hanc rationem habere à na-
tura virtute intellectus, ut intellectus est, nec ab
extrinseco principio vim totam intelligendi men-
dicare. Quare non minus improbabilis est hæc
opinio, quam quæ asserit in vniuersum, intelle-
ctum nullum habere vim ad intelligendum, adhuc
inchoatam, sed totam efficacitatem ab specie acci-
pere. Impossibile enim est, ad tale genus operatio-
nis totum principium esse externum: sed requiri-
tur aliquod vitale, cuius saltem efficacitas talis sit,
ut alio extrinseco addito compleatur. Quod si ali-
quam, vel minimam efficacitatem innatam aduer-
sarij concedant in intellectu ad videndum Deum,
ea quidem optime compleri, & adiuuari poterit
solo lumine gloriæ, vel sola essentia diuina loco
speciei.

12

Ceterum probant suam sententiam: Primum, Obiect. pri-
ma. quia impossibile est assignare causam vnâ ad ra-
tionem genericam intellectus, alteram ad ratio-
nem specificam: quia utraque est vna realitas indi-
uidua in effectu; quare utraque causa debet con-
currere ad talem effectum secundum omnem ra-
tionem: & ita intellectus efficiet visionem secun-
dum omnem rationem illius. Adde quod, cum vi-

sio etiam secundum rationem specificam sit vitalis, debet esse sub ea etiam ratione ab intellectu.

Solutio.

Respondeo, cum dicimus in visione esse rationem genericam, & specificam, & intellectum esse principium illius secundum genericam, non secundum specificam, non intelligimus esse duas res distinctas, quarum una assignetur uni causæ, altera vero alteri: sed unum, & eundem effectum ab una causa, nempe ab intellectu habere, ut sit intellectio, quam rationem ab alia causa sine intellectu habere non posset: à lumine vero, vel specie habere, ut sit talis, quod non haberet ab alia: ratio vero vitalis non conuenit intellectui, eo quod talis obiecti sit, sed eo quod sit intellectio: imo secundum rationem magis communem. Sicut etiam rationem supernaturalis non habet ex eo, quod sit intellectio, sed ex eo, quod sit talis: nam quatenus intellectio, non est supernaturalis, sed communem quandam habet rationem.

13

Obiectio secundum illam.

Solutio.

Deinde probant, quoniam si intellectus ex se virtutem aliquam haberet partialem ad actus supernaturales, & compleretur lumine, aut specie, sicut compleretur ad naturales; si queretur eodē modo cum actibus naturalibus, & supernaturalibus comparari, Respondeo diuersam esse rationem ex eo solum, quod ad supernaturales compleretur forma supernaturali, ad naturales vero naturali extrinsecus aduenienti. Dices unde ergo dignoscitur forma supernaturalis, si non tribuit intellectui totam vim ad agendum? idem enim conuenit naturali. Dico in hoc pares esse: differre tamen, quod naturalis forma dari potest ordine naturali, & ex causis naturalibus: supernaturalis vero non, nec vlla natura eam sibi naturaliter postulat: ipsa vero forma in se natura supernaturalis est, non per ordinem ad efficiens, ut disput. seq. dicemus.

Alius modus explicandi prædictam sententiam.

Sed rursus aliqui, ut superiorē sententiam, quam modo impugnauimus, defendant, alio modo philosophantur. Dicunt igitur totam principalem efficacitatem, ita provenire intellectui à lumine, ut ab ipso lumine, sicut instrumentum omnino eleuetur, nullam ex se naturam præstans efficacitatem, & sic operetur sicut instrumentum: atque hac ratione putant optime defendi rationem vitalis, & cognitionis in actu. Ego vero existimo omnia absurda, quæ priori modo inferebamus contra hanc sententiam, hoc etiam modo sequi. Primum, si intellectus nihil suæ propriæ, & naturæ efficacitatis confert: sequitur solum conferre eam, quam ab agente principali quasi deriuatam habet: ergo, cum agens principale sit habitus extrinsecus infusus, nulla erit efficacia à vita proveniens, & ab intellectu, ut intellectus est: ac proinde actio non poterit esse vitalis, nec cognitio: hæc enim postulant à vita, ut à prima radice provenire. Quamobrem actus visionis ideo vitalis est, & cognitio, quia est ab intellectu, non quia est à lumine.

14

Impugnatur.

Deinde nullus actus huiusmodi poterit esse liber, nec ipse actus charitatis in via: nam si voluntas efficacitatem mendicat à principio extrinsecus infuso, & ipsa ex suo nihil confert, sed id tantum, quod ab habitu habet, non erit in eius potestate, uti habet, cum voluerit, & quantum voluerit: quare actus illius non erit liber, nisi reducas totam libertatem in voluntatem ex eo solum, quod ipsa potest oppositum impedimentum ponere. Verum hoc non satis est, ut dicamus, actum esse liberum, quoad specificationem, & exercitium simul, quo-

ad tantam, & tantam interfectionem, ut satis constet.

Quamobrem ego non video, qua ratione probabili in actibus voluntatis huius vitæ, qui meritorij sunt, hæc sententia possit defendi; cum ex illa omnis libertas, ac proinde ratio meritæ medio tollatur. Si enim voluntas ex se in actibus supernaturalibus nihil confert naturæ efficacitatis; sequitur non operari hæc opera à se ipsa, ac proinde non determinari à se ipsa: nam cum determinare se sit operari, & non operetur à se, sed mendicata virtute ab alio, non determinabitur villo modo à se ipsa, sed ab alio omnino, à quo accipit virtutem operandi: ac proinde nullum in ea vestigium manebit libertatis: hæc enim est indifferencia facultatis à se ipsa.

15

Alij demum concedunt, intellectum nostrum ex se habere inchoatam quandam virtutem ad videndum Deum, sicut etiam affirmant, in quacunque natura creata esse virtutem hanc ad quemcunque effectum, quam vocant potentiam obedientialem actui. Dicunt autem, eam esse virtutem instrumentariam, quia concepsu sibi non debito naturali, sed supernaturali solum compleri debet, ut efficiat. Verum hanc virtutem in nulla creatura esse, & omnem naturam virtutem etiam inchoatam habere rationem causæ principalis, ostendimus infra disp. 176. cap. 4. & de virtute intellectus ad videndum Deum, peculiari ratione id probabimus: nec quidquam commune cum errore Pelagij habere, sicut nonnulli obijciunt, contineamus. Quod si semel concedamus naturam aliquam virtutem inchoatam in nostro intellectu ad videndum Deum, non erit necessarium lumen gloriæ ad eliciendam visionem, si essentia diuina supplet locum speciei, ut e. seq. ostendemus.

CAPIT. V.

Postremo sententia Capreoli impugnatur.

Andem in hoc capite contra Capreolum ad huc ostendamus, necessarium non esse lumen gloriæ, si essentia diuina est loco speciei. Et primum quidem necessarius non est huiusmodi habitus, ut intellectus noster roboratus diuinam essentiam, tanquam speciem recipere possit: eo quod essentia diuina sit excellens quoddam obiectum, ac proinde, nisi facultas intellectus roboretur, ipsam nequeat sustinere, sicut visus recipere non valet vehementis alicuius sensibilis speciem, nisi aliquo modo potentior efficiatur.

Itaque hoc modo necessarius non est habitus luminis, & exemplum adductum nihil probat. Primum quoniam nullus sensus indiget roborari, ut vehementis alicuius sensibilis speciem recipiat. Hæc enim cum non habeat physicam aliam actionem, quam mouere ad cognitionem, non potest secundum se aliquo modo facultatem ledere, atque adeo sine alia dispositione, aut roboratione, potest eam sensus recipere. Signum autem huius manifestum est, quod nullus internus sensus læditur vehementis alicuius sensibilis specie, tamen si lædatur cognitione aliqua terribilis obiecti ratione affectus consequentis. Læditur autem sensus externus aliquo vehementi sensibili, atque adeo indiget roborari, ut sine læsione ipsum percipiat, ratione physice operationis, qua ipsam facultatem sentientem tangit, non autem solius speciei sensibilis immisione. Hoc modo læditur visus à luce vehementi, quæ radios suos vsque ad pupillam immittit, non ab specie illius: auditus non ab specie soni,

16
Specie obiecti non lædit potentiam.

soni, sed à vehemēti aëris percussione, quæ aures ipsas obtundit. & sic de alijs.

Ratio verò à priori est, quoniam nulla species cuiusque obiecti vehementis opponitur temperamento facultatis sentientis: ergo ab illa lædi non potest, imò verò perfici debet: physice verò qualitates sensibiles actionem aliquam physicam habere possunt ipsi temperamento contrariam: ergo cum hæc ratio locum non habeat in intellectu ad recipiendam ipsam Dei essentiam loco speciei, non est cur dicamus, necessarium esse luminis habitum, ut ipsum intellectum roboraret ad recipiendam essentiam, cum ab ea, tanquam ab excellenti obiecto, lædi non possit.

Deinde etiam si facultas sentiens à vehementis obiecti specie læderetur, & intellectus ab intelligibili; id tamen solum fieret ab specie in hærente, non autem ab ea, quæ solum assisteret. Læsis enim accidere nequit, nisi ratione effectus in hærentis: sed essentia diuina assistit solum intellectui, si ea habet vicem speciei: ergo hoc ipso intellectu lædere non potest: nam & nunc omnibus nostris intellectibus assistit, nullum tamen lædit. Nec quidquam refert, quod aliqui comminiscuntur, essentiam diuinam non assistere omnibus per modum formæ intelligibilis, sed sicut primam causam: atque adeo necessarium esse roborari intellectum, ut ei per modum formæ intelligibilis assistat: hoc igitur nihil interest, quoniam essentiam Dei assistere, ut speciem intellectui, nihil aliud est, quam cum eo operari per se visionem, quod absque vlla sui mutatione efficere potest. Nunc ergo, licet non omnibus assistat actu operando visionem, assistit tamen eo modo, quo posset, si vellet eam producere: ex hac autem assistentia, siue operetur visionem, siue non operetur, nulla potest oriri læsis in intellectu.

Præterea necessarius non est habitus luminis gloriæ, ut tanquam principium efficiens in intellectu ad visionem concurrat, ut ex utroque; scilicet intellectu, & lumine fiat vnum integrum principium, & causa efficiens visionis. Hoc igitur modo habitus necessarius non est, si dicamus essentiam diuinam locum supplere speciei, & tanquam principium proprium visionis ad eam etiam cum lumine, & intellectu concurrere: quod hæc ratione probatur.

Ad eundem effectum plures causæ proximæ, & propriæ, etiam inuicem ordinatæ concurrere nequeunt, nisi in effectu vnicuique causæ ratio aliqua peculiaris respondeat. Dixi causas proprias, & proximas: nam primam omnium causam, DEVM videlicet vniuersali quadam ratione principij cum omnibus particularibus causis concurrere necesse est, ut 1.2. q. 79. artic. 1. latius explicabimus: cum tamen DEVS ad omnem rationem in effectu productam concurrat: ex secundis verò, & proprijs causis frustra aliquam assignamus, cui in effectu peculiaris ratio non responderet: cum dico, peculiarem rationem in effectu causæ secundæ peculiari assignandam esse, non intelligo vnam partem entitatis ab vna causa, aliam verò ab alia procedere: sed effectum vnicum & indiuiduum secundum rem ab vtraque causa indistinctum, & indiuisum produci: & ideo talis speciei, & rationis produci, quia est ab hac causa; ideo verò alterius rationis, quia est ab alia: & ita iuxta varias illius rationes varias quoque ei causas assignari.

In operationibus quidem cognitionis est ex-

emplum huius rei manifestum. Visio enim albi habet, quod sit visio, non auditio: hoc autem habet à facultate videndi, non ab specie; ideo enim visio est, quia à visu, non ab auditu procedit: habet etiam quod sit albi; hoc autem non accipit à visu secundum se; visus enim tam respicit album, quam nigrum, sed ab specie albi: ac proinde nec illa esset visio, si non esset à visu; nec esset albi, si non esset ab specie, utroque igitur completur vna proxima, & propria causa visionis albi: ergo si ex duobus aut pluribus ad vnum effectum secundum varias rationes illius concurrentibus completum est principium efficiens, ut nulla superfluit in effectu noua ratio, cui propria causa sit assignanda; superfluum est plures alias causas ad complementum illius principij addere: ac proinde nullius effectus erunt, si addantur. Hoc principium iterum confirmabimus, 1.2. q. 9. art. 1. & obiectiones quasdam recentiorum parui momenti diluamus.

Hoc supposito probatur, vel essentiam diuinam non esse loco speciei, ut proprium principium visionis, vel habitum luminis esse superuacaneum: si enim essentia teneat locum speciei, non tantum erit principium visionis, sicut est aliarum rerum, sed proximè, & propriè, sicut esset ipsa species, in cuius locum essentia diuina subrogaretur: sic autem visio clara Dei secundum omnem rationem, quam in ipsa excogitare possumus, procederet ab intellectu creato, & essentia diuina tanquam à sufficienti, integro, & proprio principio. frustra igitur addimus habitum luminis ad eliciendam visionem: ad alium namque effectum non esse ponendum, ex dictis in hoc capite est manifestum. Porro ab intellectu, & essentia diuina loco speciei sufficienter secundum omnem rationem visionem procedere, hæc inductione ostenditur.

Visio clara Dei triplicem subit rationem; prima est cognitionis seu intellectus, secunda est talis obiecti; tertia est claritatis, ratione cuius eam intuitiuam, & quidditativam Scholastici appellant. Hæc autem omnes sufficienter assignantur, tanquam integræ causæ, intellectui & essentia diuinæ loco speciei. Prima ratio cognitionis, seu intellectus est ab intellectu, non ab essentia: nisi enim esset ab intellectu, visio non esset nec intellectio, cum ab eo secundum rationem intellectus essentialiter pendeat. Secundam, nempe esse talis obiecti, habet ab essentia diuina loco speciei, species enim facit, ut intellectio, aut cognitio sit talis obiecti non alterius: species enim modificatur, & determinat intellectum, ut hoc potius quam aliud intelligat.

Tertia verò ratio scilicet claritas, quæ videbatur optime posse adscribi lumini gloriæ, sufficienter etiam est ab essentia diuina loco speciei, quoniam essentia diuina non ponitur loco speciei cuiuscunque sed speciei propriæ, & quidditatiuæ, quæ natura sua faceret videre Deum sicuti est. Cum igitur locum teneat talis speciei, supplere etiam debet efficacitatem, & virtutem propriam illius: ea vero est, ut addita intellectui ipsum moueat ad claritatem, & ut aiunt, intuitiuam obiecti notitiam: ergo ad hanc mouet essentia diuina loco speciei, sicut propria & proxima causa, aliter quam si suppleret vicem speciei non propriæ, nec quidditatiuæ, quales nimirum in intellectu per sensus determinantur: hæc namque non possunt ad eundem, & quidditatiuam obiecti notitiam mouere, non solum

Vel essentia diuina non gerit vicem speciei vel lumen gloriæ superfluit.

Ab intellectu & essentia diuina loco speciei sufficienter visionem procedit.

*Species im-
propria ob-
iecti non est
genere cui
dantem illius
notitiam.*

21

*Obiectio ab
habitu fides
sumpta.
Solutio.*

solum secundum se, sed etiam quocunque lumine infuso adueniente: nullum enim lumen faciet ipsam magis secundam, & efficacem, ut cum intellectu expressam similitudinem obiecti quidditativam, & intuitivam producat, cum ipsa sub eo ordine non contineatur: nihil igitur in visione clara. D. i. opet est, quod luminis gloriæ tanquam causæ assignemus: ac proinde superuacaneum omnino erit. Quod enim visio sit supernaturalis operatio, non est peculiaris ratio distincta à prædictis: eo enim ipso, quod est visio clara Dei, quæ sufficienter est ab intellectu cum essentia diuina loco speciei, est etiam supernaturalis: ac proinde non potestulat novam causam ad hoc, ut supernaturalis sit. Sed posset quis dicere, præter essentiam diuinam, quæ est loco speciei, requiri habitum luminis eo modo, quo Theologi concedunt, præter species intelligibiles infundi viatoribus habitum fidei. Respondeo esse longe diuersam rationem: nam in actu fidei, qui supernaturalis est aliquid respondet speciebus, aliquid verò luminis: speciebus quidem ipsa extremorum apprehensio, omnia enim fidei mysteria in stat rerum naturalium apprehendimus: luminis autem si ipse assensus, qui supernaturalis est, & conformitas extremorum, nunquam enim intellectus solis speciebus acquisitis perueniret ad qualitatem illam assensus, quæ solum innotitur primæ veritati, tanquam obiecto formali, sine habitu fidei, vel auxilio supernaturali: ac in visione Dei apprehensio, & iudicium, quæ simul in actu simpliciter inueniuntur, ab eodem principio fiunt, & quod est causa simplicis apprehensionis, est etiam assensus: ergo si essentia diuina loco speciei est sufficiens causa euentus, & intuitivæ apprehensionis, erit etiam iudicij & assensus.

*Scientia in
solo Christo
non est lumen
distinctum
ab speciebus.*

Ob quam etiam rationem dicemus in 3. partem q. 11. art. 5. scientiam infusam, quam Christus habuit, non fuisse lumen distinctum ab speciebus ipsis: quia cum illæ sint propriæ, & quidditativæ, simul cum intellectu sunt sufficiens principium apprehensionis claræ, & iudicij seu assensus, qui simul eodem actu fit: superflue igitur ponitur luminis habitus ab speciebus distinctus. Neque verò habitus fidei, quia aliquo modo constituit intellectum in actu. est species, quia non omnis actus primus est species, sed ille solum, qui est principium actualis representationis in verbo: in mysterijs autem fidei verbum est instar rerum materialium productum ab speciebus intelligibilibus; ab habitu solum fit assensus, hoc est, connexio extremorum.

22

*Secundo aliq
ponunt lumen
visio Dei
à secunda
causa connat
uraliter
procedere.*

Tandem respondebit aliquis, necessarium esse lumen gloriæ ad eum effectum, quem secunda opinio in tertia ratione dicebat, videlicet, ut visio Dei ab intellectu nostro veluti à secunda causa connaturaliter procedat, hoc enim differt secunda causa ab instrumento eleuato ad agendum, quod secunda causa in se habet formam inherrentem, qua virtus eius completur, ut agat; instrumentum autem eam non habet, sed solum motionem principalis agentis assumunt ipsum ad talem effectum. Quare cum essentia diuina loco speciei non inherreat, sed assistat intellectui, videtur ipsum solum, ut instrumentum ad videndum eleuare: qui tamen, si habitum luminis gloriæ in se ipso haberet, sine dubio per modum secundæ causæ virtute sibi inherente operaretur.

Impropria autem

Verum neque ad hunc effectum ponendum esse lumen gloriæ, facile demonstrari potest: quo-

niam ut agens aliquid per formam sibi inherrentem ad modum causæ secundæ, & propriæ, & non sicut instrumentum, operetur; nec esse est, ut illi formæ in effectu productæ aliqua ratio respondeat. Si enim nihil ei assignatur, frustra illa ponitur, ut dictum est, ac proinde nec ad connaturaliter operandum illa forma debet constitui, quæ neque ad operandum aliquid in effectu necessaria est. Quomodo enim connaturaliter effectum produceret, si in ipso nihil efficere potest: ex quibus patet etiam solutio tertiæ rationis, quam pro sententia Capre. in 2. c. adduximus.

23

Capre.

At obijcias habitum acquisitum nobis dari, nec esse superfluum potentie, etiam si in operatione nihil efficiat: ergo & lumen gloriæ similiter esse poterit. Respondeo si habitus nihil in operatione efficiat, non poneretur, ut principium connaturaliter operandi illam; sed tantum ut facilem redderet potentiam, sicut sentit Durandus auferendo solum impedimentum, & expeditorem ipsam reddendo: aut si ponitur ad connaturaliter operandum, opus est, ut in effectu aliquid operetur, præter connaturalitatem: hæc enim est modus operandi causæ, ut diximus, qui non conuenit effectui, nisi causæ illa, quæ datur ad connaturaliter operandum, aliquid aliud efficiat: unde eadem ratio contra habitum acquisitum militat, si ad hunc effectum dari di. amus.

Et certe nullus est, qui asserat habitum acquisitum dari ad connaturaliter operandum: quia potentia vuda est causa secunda sufficiens ad operationem: sed omnes dicunt, dari ad facilitatem, & modum delectabilem, qui vel est modus expeditionis causæ nihil influens in effectum, ut putant Durandus, vel est modus quidam operationis additus substantiæ illius: unde non ad operandum connaturaliter substantiam operationis ponitur, sed ad peculiarem modum illius. Excipio Caiet. & aliquos, qui affirmant, habitum acquisitum dari ad substantiam operationis singularis: hi enim etiam si dicant dari ad connaturaliter operandum, concedunt tamen aliquid ab habitu in substantia operationis produci: quod an verum sit suo loco dicemus: sed concedimus habitum non poni ad connaturaliter operandum, nisi in effectu aliquid efficiat: nec hactenus legi aliquem, qui dicat habitum acquisitum dari ad connaturaliter operandum.

*Habitum acq
quisitum ad
quid deger
niale.*

24

Durand.

Caietan.

Cæterum autem aliquos Theologos asserentes lumen gloriæ, nec di ponere subiectum ad recipiendam essentiam loco speciei, nec ad recipiendam visionem, nec esse principium effectus illius, sed solum conditionem ex parte potentie: ac proinde totam efficacitatem ad se habere intellectui cum essentia diuina loco speciei. Explicat autem hunc modum conditionis hac ratione: sicut facultas videndi indiget aliquando interius roborari contra lippitudinem, & tamen illud robur tantum est conditio, non principium visionis: ita intellectus ad videndum Deum roboratur lumine gloriæ.

*Alij tamen
ponunt, ut
constitutum
requiritur
ex parte po
tentie.*

Verum hoc effugium frivolum est: & primum quidem, hoc modo iam non ponimus formam inherrentem ex parte intellectus, ut ipse per modum causæ secundæ, non ut nudum instrumentum visionem eliciat. Deinde non satis intelligitur, quæ sit hæc conditio: sic enim possemus, quocunque ex parte agentis requirantur, conditiones appellare, nō principia efficiendi. Postremo, quoties ex parte alicuius agentis est necessaria aliqua qualitas,

*Reijcitur
hæc sententia.*

25 qualitas, quæ posita ponitur effectus, & ablata auferitur; non est, cur negemus esse principium illius: exemplum vero de corporali oculo ineptum est. Nam oculus indiget aliquando interius roborari; & robur illud vel dispositio non est principium videndi, sed conditio, quia virtus videndi est in organo corporali, & indiget recta illius dispositione; quæ ablata ipsa facultas aut minuitur, aut omnino extinguitur: hoc autem non potest oculo mentis accideret, neque quid simile, ratione cuius dicamus, lumen solum esse conditionem, non principium visionis.

CAP. VI.

Intellectum cum solo lumine gloriæ esse integrum principium visionis, auctoritate probatur.

An. 26 *Ricard.* *Sut.* *Argum.* *S. Thom.* *27*
Tertia opinio ceteris præfate videtur, eaque mihi summo opere probatur, quæ asserit essentiam diuinam non coniungi intellectui loco speciei intelligibilis, sed generali quadam ratione, sicut primum mouens ad visionem cum intellectu concurrere, atque solum esse obiectum illius, ipsum vero intellectum habitu luminis instructum esse sufficientem, & integrum eius principium. Ea videtur esse Ricardi in 4. dist. 49. art. 3. q. 2. docet enim, si sequamur sententiam, quæ astruit visionem effici ab ipsis beatis, quam probabilem putat, lumen gloriæ necessarium esse, ut intellectum secundet ad eliciendam visionem; nusquam vero asserit, essentiam diuinam præterea esse loco speciei impressæ, ut principium eliciendi visionem; quinimo in 3. d. 14. art. 1. q. 3. defendit, ut probabilem, sententiam asserentium Deum nunc à Beatis per speciem videri, quæ sit principium visionis: eorum vero opinionem impugnat, qui docent essentiam diuinam substitui in locum speciei.

Cum Ricardo sentit Scotus locis disput. 4. 2. c. r. citatis: existimat enim si visio ab intellectu Beatorum efficitur, habitum luminis gloriæ ad hoc esse necessarium, ut vim tribuat intellectui ad videndum: unde utrumque putat esse principium visionis; nusquam vero asserit essentiam diuinam esse loco speciei, tanquam principium visionis; imò vero in 4. d. 49. q. 11. dicit, lumen gloriæ sine specie ad eliciendam visionem sufficere: quia obiectum præsens est, non tamen ait ipsum obiectum supplere locum speciei. Porro autem obiectum non supplere locum speciei, expressè asseuerat Th. de Argem. in 4. d. 49. q. 2. a. 3. qui tamen in art. 1. dixerat habitum luminis requiri ad visionem, & idem Scotus in 4. dist. 49. q. 11. Respondet dicitur, existimat rationes, quibus probari solet, Deum, non videri per speciem, nihil probare: intelligit vero etiam de facto.

Cæterum, quod caput est huic sententiæ non solum S. Thom. non aduersatur, verum etiam ex ipso non obscure colligitur. In primis enim ubique de habitu luminis gloriæ agit, aut indicat, aut aperte etiam docet, dari ad roborandum intellectum, ut eliciat visionem, hoc est, ut vim illi conferat, & compleat eius efficacitatem ad producendam visionem. Ita docuit in hoc art. 3. ad 1. & 2. & 3. contra gentes c. 5. 4. & 55. in prima ratione, & clarissime c. 53. De essentia vero diuina nusquam docuit id, quod discipuli ipsius defendunt, eam videri esse in intellectu beati loco speciei impressæ ad eliciendam visionem; sed ad hunc effectum, solum asserit lumen gloriæ deferre. Aliqua vero loca, quibus S. Doctor docere videtur, essentiam

diuinam esse loco speciei, quibus discipuli ipsius in eam sententiam adducti videntur, faciliorem habent expositionem.

Præcipuus est art. 2. huius quo solutione ter-
tia, vbi sic ait. *Sicut alie forme intelligibiles quæ non sunt suam esse, vniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum, & faciunt ipsum in actu, ita diuina essentia vniuntur intellectui creato, ut intellectum in actu per se ipsam faciant intellectum in actu.* *Exponitur testimon. S. Thomæ de specie expressa*

Verum ex hoc testimonio nostra potius, quam aduersariorum sententia confirmatur: nam quamuis essentiam diuinam comparat formis, hoc est, speciebus intelligibilibus, quæ informant intellectum, & ipsi inherentes vniuntur, & asserat, eam secundum suum esse vniiri intellectui: (intelligit autem ex eo quod inheret) non tamen affirmat vniiri intellectui, sicut formam, & speciem intelligibilem impressam ad eliciendam visionem: quin potius dicit vniiri intellectui, tanquam intellectum in actu, hoc est, sicut rem actu intellectam, quæ reddit ipsum intellectum in actu; hoc est intelligentem: non ait in actu primo, sed in actu: intelligit autem actum secundum: sicut enim res actu intellecta ad intellectum refertur. Comparat igitur essentiam diuinam, non speciei impressæ, sed expressæ, & verbo, quam etiam appellat ipse formam intelligibilem in quæst. 3. de veritate art. 2. & docet, essentiam diuinam habere locum verbi in ipsa visione. Nam ut supra disput. 39. diximus, vbi que plane sensuit S. Thomas, Dei essentiam secundum se absque vilo verbo à Beatis videri: alias verò naturas ab intellectu cognosci, non secundum se, sed per verbum ipsarum: imò ipsum verbum prius videri.

Deinde quatuor alijs locis, nempe in hoc art. 5. ad 1. & 3. contra gent. cap. 51. & cap. 53. & q. 8. de veritate art. 1. docet, essentiam diuinam per lumen gloriæ non fieri intelligibilem, sed per se talem esse; lumen autem ad hoc infundi, ut intellectus potens sit ad eliciendam visionem. Si verò lumen locum haberet speciei impressæ, ut principium visionis, fieret Deus per ipsum intelligibilis in actu primo, sicut res aliæ per suas species impressas, ergo cum ipsa essentia per se sit intelligibilis ex sententia S. Thom. sequitur eam esse loco speciei impressæ, & eo modo intellectui beatorum vniiri. *Obijciunt alia S. Thomæ testimonia.*

Ex his tamen locis, & eorum doctrina, si recte expendatur, nostra potest sententia confirmari. Ideo enim sanctus Doctor dixit, Deum non fieri intelligibilem per lumen, etiamsi illud constituat intellectum potentem in actu primo ad videndum; quia essentia diuina per se ipsam sine vilo verbo videtur, & ipsam visionem terminat; aliter quam aliæ res, quæ medio verbo intelliguntur, atque eo intelligibiles, & visibiles fiunt. In quem sensum ipse etiam beatus Th. in 4. d. 49. q. 2. art. 1. dixit, eodem modo fieri vnum ex intellectu beati, & ipso Deo, quando per se videtur, sicut si vnum ex intellectu, & specie, seu forma intelligibili, quando intellectus intelligit, non dixit quando intellectus constitutus est in actu 1. per speciem impressam; sed quando actu per verbum intelligit, nam axioma illud satis tritum, & vulgare, *Ex intellectu, & intelligibili fit vnum*, multò melius intelligitur, de intellectu actu cognoscente, quam de intellectu in actu per speciem impressam constituto. Hanc sane puto esse mentem Doctoris sancti, nec vsquam oppositum

*Obijetur
alius locus.*

Exponitur.

30

oppositum docuisse, ut discipuli illius comminiscuntur. Solum videtur nobis aduersari id, quod ipse tradidit 3. contra gent. cap. 51. & quæst. illa 8. de veritate art. 1. & in 4. d. illa 49. quæst. 2. art. 1. ad 5. nempe essentiam diuinam in beatitudine esse, quo videtur, & quod videtur: id quod nullo modo verum esset, nisi essentia diuina esset loco speciei impressæ, qua ratione est id quo videtur: nam quatenus est obiectum visionis, est id, quod videtur & res visa. Respondeo tamen ex eadem doctrina, quam hactenus diximus esse beati Thom. per medium, quo videtur, eum non intelligere principium eliciendi visionem, qualis est species impressa, quamquam hæc etiam appellari potest id, quo videtur: sed intelligere verbum, quo res etiam videtur: nam cum S. Th. sentiat, ut sæpius notauimus, in visione Dei non dari verbum expressum; sed ipsum Deum per se videri, hoc peculiare inter alias res intelligibiles Deo habet, quod alias solum sunt id, quod videtur, quia non habent locum verbi, nec per se: sed in verbo videntur: Deo autem vtrunque conuenit, quia cum sit loco verbi, est quo & quod videtur. Superest igitur, ut iuxta mentem S. Th. satis sit ad eliciendam visionem, intellectum Beatorum instrui, & secundum effici lumen gloriæ: nec aliquid aliud sit loco speciei impressæ: an verò ipsum lumen species impressa dici possit, sequenti capite paucis explicabimus.

CAPITULUM VII.

Eadem sententia ratione confirmatur, & explicatur amplius.

Essentia diuina in habitibus luminis gloriæ non habet vicem speciei.

Iam verò ex dictis præcedentem opinionem ratione confirmare, non erit difficile: cum enim Scholasticis indubitatum sit, habitum luminis gloriæ intellectibus Beatorum infundi, & simul cum lumine gloriæ essentia diuina locum speciei impressæ supplere nequeat, ut cap. 3. probatum est: reliquum est vt dicamus intellectum solo habitu luminis instructum, esse principium visionis, ipsum verò Deum solum esse obiectum illius. Possit quidem Deus, ut disp. 46. dicemus, sine habitu luminis intellectum mouere ad eliciendam visionem: tunc autem ipse esset loco luminis, cuius efficacitatem suppleret: ac proinde locum obtineret speciei impressæ, quæ solet esse principium visionis: cum tamen omnes Scholastici sentiant esse habitum luminis, vt vidimus disputatione præced. & probatum maneat illud esse principium visionis: efficitur, essentiam diuinam in locum speciei impressæ non subrogari: neque id maiori indiget confirmatione, quæ aliarum opinionum impugnatione, ex qua euidenter hæc nostra opinio colligitur.

Cur illa qualitas luminis gloriæ dicatur.

Superest, vt exponamus, cur dicatur qualitas illa lumen gloriæ; & vtrum dici queat species impressa diuinæ essentiae, an non. Primum quidem dicitur lumen gloriæ, quia Deum ipsum, qui est gloria, & felicitas nostra, manifestat: sed quomodo manifestet, non omnes satis explicant: id vero hoc modo intelligendum est. Cum illa qualitas sit principium cum intellectu eliciendi visionem Dei: visio autem sit manifestatio quædam, & representatio ipsius Dei, in ea lumen gloriæ dicitur manifestare Deum non formaliter, sed efficienter, producendo nimirum visionem, quæ est ipsius Dei manifestatio: quare non debemus existimare, lumen gloriæ ita illuminare, & manifestare

Lumen gloriæ Deum manifestat efficienter.

nobis obiectum, vt luminis manifestatio visionem obiecti præcedat: sicut lumen corporale illustrat, colores, antequam videantur, hoc est, illuminat medium, per quod in oculum species immitti possunt, quibus colores intueamur: id enim intelligi, nedum explicari, non potest: sed luminis gloriæ illustratio, & manifestatio est ipsa Dei visio in modum à nobis explicatum.

Deinde ego non dubitarem appellare ipsum lumen gloriæ speciem impressam essentiae diuinæ, per quam elicitur visio ipsius: primum enim ex Scholasticis antiquis, etiam ex ijs, qui dicunt Deum per speciem videri, quos c. 4. retulimus, nullus est, qui distinguat lumen gloriæ ab specie essentiae diuinæ. Deinde S. Th. in art. 2. huius q. & 3. contra gent. cap. 54. circa tertiam rationem non semel, sed iterum vocat lumen gloriæ similitudinem Dei, quæ se tenet ex parte potentiae, non quidem, vt recentiores discipuli S. Thom. explicant, generali solum ratione: quæ qualibet creatura Dei similitudo appellari potest, id enim asserere de lumine gloriæ finisum esset, & omnino extra rem: sed quia sicut species impressa secundat intellectum, vel facultatem cognoscentem, vt cognoscat obiectum, sic etiam lumen gloriæ intellectum facundat. Noluimus autem ipsum appellare speciem ex parte obiecti, non quia non sit species illius: si enim est eius similitudo, erit etiam species: sed quia per speciem ex parte obiecti, vt disp. 39. late explicauimus, intelligit solum eam, quæ prius visa facit obiectum videri: porro cum disp. 38. probatum sit, nihil ob stare quo minus produci possit species impressa essentiae diuinæ: cur eam de facto dari negandum est?

Postremo idem S. Thom. 1. 2. q. 50. artic. 6. concedit, in Angelis esse habitus intellectuales: explicans autem quinam sint huiusmodi habitus, inquit, esse species intelligibiles, & omnes communiter Thomistæ eo loco species intelligibiles Angelorum appellant habitus: nec vllum alium habitum intellectus Angelis concedunt, vt videbimus disp. 218. c. 2. Quare quod S. Th. in hac q. 12. art. 5. ad 1. dixerit, intellectum fieri secundum ad intelligendum per lumen gloriæ, sicut facultas sit potentior per habitum ad operandum, nihil ob stare debet, quo minus lumen gloriæ dicatur species: nam quamuis expresse appellaret ipsum lumen habitum; nihilominus dici posset species, si quidem, vt proxime dicebamus, species intelligibiles ipse S. Thom. vocat habitus.

Obijciunt aliqui, id esse contra S. Thom. omnesque Theologos, qui dicunt Deum non videri per speciem. Cæterum nec S. Th. nec reliqui Scholastici id dixerunt, nam Doctorem Sanctum in alium sensum intelligendum esse, probauimus disp. 39. ex alijs vero Scholasticis Scotus, & Ricardus supra cap. 4. citati, defendunt, Deum per speciem impressam de facto à beatis videri: plures alij nihil de hacre asserunt. Solum Thomistæ aliqui allegant, 2. cap. huius disputationis adducti quibusdam S. Th. verbis affirmant Deum esse loco speciei, & nullam aliam ipsius speciem dari: ad hæc tamen loca satis superque præcedenti capite dictum est, quare de hac Thomistarum sententia nihil curandum est. An vero præter species rerum infusarum, quæ Christo datæ sunt, fuerit in ipso lumen ali-quod distinctum ab illis, dicemus in 3. p. q. 11. art. 5.

Adde, quod cum integrum & sufficiens principium

32

Lumen gloriæ an species Dei alicuiusque.

S. Thom.

33

Lumen glori-
ae cuius
est Dei dei
posit.

34 cipiū visionis assignetur, si cum intellectu nostro habitum luminis coniungamus; nam si addamus diuinam essentiam loco speciei impressae, lumen gloriae superfluum erit, vt c. 3. ostensum est; non est cur refugiamus, ipsum lumen speciem impressam appellare. Si enim lumen complet efficacitatem intellectus, vt visionem eliciat; sequitur Deum ipsum habitualiter (vt aiunt) vel in actu primo, eo representari: nam ideo aliqua qualitas dicitur hoc modo obiectum representare, quia est principium eliciendi visionem, quae, vt disp. 38. c. 2. monstrauimus, est actualis, & expressa obiecti representatio: ergo cum lumen adiunget intellectum ad hoc, vt exprimat similitudinem actuale ipsius Dei, congrue satis, & conuenienter vocari potest species impressa, habitualiter Deum representans.

Et certe si dari potest species impressa essentiae diuinæ, vt probatum manet disp. illa 38. potius dicendum est, eam communicari intellectui ad videndum Deum, quam essentiam diuinam esse loco speciei, quoniam magis congruit ordini rerum, & modo communis operandi, vt quæ Deus potest efficere media aliqua forma, non faciat per se ipsum: sed eam assumat, tanquam secundam causam; ergo si potest sic producere visionem sui, sicut aliarum rerum, sic vt naturali ordine operandi seruato, non per se ipsum proxime, sed per speciem suam visionem producat.

Enafo, quæ
dicunt con-
naturalem
esse Deum
vult per se
specie.

Respondent aliqui potius esse naturalem modum operandi, visionem sui sine specie impressa, quam cum illa producere: quia species ponitur loco obiecti, eo quod ipsum secundum se nequit vniuius potentia, nec ipsam mouere: & h. c. de causa non tribuimus Angelo speciem sui, vt se ipsum videret: quia est suo intellectui intime vnitus: sic igitur species est veluti in supplementum: quare cum Deus per se ipsum vniuius possit intellectui, & ipsum mouere, superflua erit species, si modum naturalem operandi attendamus.

Reiicitur.

Verum vt ostendimus infra disp. 40. 4. non satis certum est id, quod hæc opinio asserit de essentia Angeli, vt se ipsum intelligat: imo verius est, ipsam non concurrere, vt proximum, & proprium principium visionis. Sed quamuis concedamus id, quod aduersarij contendunt, de essentia Angeli, non videtur idem concedendum de essentia diuinæ: nam si essentia Angeli concurret ad visionem, vt proxima causa, & proximum principium debet concurrere secundum substantiam, naturaliter quatenus est, non quatenus vult: Deus autem ad visionem non potest concurrere, nisi quatenus vult: quo pacto cum omnibus alijs causis concurrat: atque adeo modum illum proprium obiecti in operando non habet: sed vt prima causa solum operatur, ergo, cum dari possit species, quæ loco illius naturaliter operetur, quatenus est, cum intellectu, ille erit modus connaturalis operandi.

Respondent.

Respondent, Deum non tantum concurrere, per modum primæ causæ, per voluntatem ad visionem sui, sed etiam per naturam quatenus est, vt obiectum, ita vt visio Dei ab eo solum libere procedat, quatenus ipse libere se applicat intellectui, & vniuit ei ad operandum: naturaliter vero, quatenus, vt obiectum cum eo cooperatur. Hæc tamē doctrina continet absurdum manifestum, vt non optime docet S. Thom. 1. p. q. 1. a. 4. Deus non potest agere extra se necessitate naturæ, & in quantum est, sed in quantum vult: nam si extra se, in quantum

Impugnatur
S. Thom.

Vasquez in 1. part. Tomus 1.

est, ageret, aliud infinitum in essentia produceret: quæ de causa præter productiones intra Deum, nullus Theologus concedit aliquid à Deo produci necessitate naturæ, & in quantum est, sed omnia in quantum vult, & libere; non tantum ratione applicationis libere, sed etiam voluntate in ipsum effectum libere influente. Accedit quod vix potest intelligi in Deo vnio aliqua cum intellectu, quæ fiat libere, & præcedat ipsam cooperationem cum illo: quia vnio intellectui, est cum illo cooperari: etenim vnio illa, quæ est præsentia secundum essentiam, parum conducat ad visionem, vt contra Durandum diximus disp. 41. cap. 7. multo igitur melius est, speciem ad videndum Deum concedere, quæ sit ipsummet lumen gloriae.

36
Durand.

Quocirca optime dici potest, Deum per speciem videri, sicuti est, non quidem per speciem prius visam, sic enim ipse, sicuti est, videri non posset, sed quæ sit principium eliciendi visionem; quemadmodum cætera quoque intelligibilia intelliguntur, aut videntur, & intellectum mouent, non per se ipsa, sed per sui similitudinem, & speciem impressam; est tamen discrimen, quod cæteræ res intelligibiles ita per speciem mouent intellectum ad sui visionem, vt per se ipsas proxime mouere nequeant; at essentia diuinæ potest; quare ipsa ex se dici potest per se intelligibilis in actu primo. Alio quoque modo S. Tho. locis cit. cap. præced. dixit, Deum esse per se formam intelligibilem, cæteras vero res non esse, quia solus Deus per speciem expressam prius visam videri non potest, sed ipse in visione clara sui est loco speciei expressæ; cæteræ autem res non possunt hoc modo ad intellectum referri, sed omnes per verbum, & similitudinem expressam videntur. Veruntamen hanc ego differentiam non admitterem, quoniam vt disp. 38. c. 2. notauimus, in omni cognitione est verbum, vel potius ipsamet cognitio est expressa obiecti similitudo; quare non solum aliæ res, verum etiam ipse Deus non est per se intelligibilis in actu secundo, vel per se intellectus, sed omnia quæ intelliguntur, media similitudine expressa videntur, aut cognoscuntur, ita tamen similitudo illa, seu verbum intercedit, vt ipsum non videatur, nec prius visum faciat obiectum videri, vt in eo cap. 2. probatum est, nihil igitur absurdi est, si dicamus, non solum posse videri Deum per speciem impressam, vt disp. illa 38. prædictum est, sed etiam de facto ita videri.

Deum videri
per speciem
sicuti est.

S. Thom.

Quod vero nonnulli contendunt, hoc comprobare ex illo? Per fidem enim ambulamus, non per 2. Cor. 5. speciem, vbi cognitionem huius vitæ, quam Paulus appellat per fidem, opponit cognitioni alterius, quam vocat per speciem, nullius momenti est. Nam eo loco Paulus speciem non appellat similitudinem representantem, sed faciem ipsam, quocirca visio ipsius Dei, facialis nuncupari consuevit, sumpta metaphora ex visione corporea alicuius, quæ tunc est perfectissima, quando non à tergo, sed facie ad faciem, qua quisque agnoscitur, ipsum intuetur. Paulus enim Græce sic ait, εἰς ὅρα, hoc est, per formam, εἰς ὅρα enim non solum significat similitudinem, & ideam rei, sed etiam formam, seu faciem, id quod Porphyrius docet in sua Isagoge cap. de specie, cum ait: speciem accipi interdum pro forma, iuxta quam significationem dicere consueuimus. prima species digna est imperio, qua ratione speciosus aliquis dicitur à forma. Ergo sensus Pauli est, cognoscimus

Hanc sententiam
Paulus non
probat.

Explicatur
Paulus.

1. Cor. 13.

Augustin.

38

nunc Deum per fidem, nondum vero intuemur ipsius faciem, & formam, hoc est, essentiam, & naturam, sicut etiam dixerat: *Tunc autem facie ad faciem*: & quamvis ibi non utatur nomine Græco *ἴδω* sed *πρόσωπον*, idem tamen omnino sensus est. Sic videtur locus Augustin. in Psalm. 91. in principio cum ait, *Credentes in eum, quem non videmus*, ut gaudeamus, cum viderimus, *fidei nostræ succedat species lucis eius*, per speciem iuxta phrasim Apostoli intelligens ipsam faciem, seu formam, hoc est essentiam Dei, non similitudinem aliquam.

CAPVT VIII.

Diluantur argumenta, quibus probatur, lumen gloriæ superuacuum esse.

Obicit Durand.

39

Nihil aliud in hac questione videtur superesse, quam, ut diluamus duo argumenta, quibus probari potest, habitum luminis superfluum esse. Vnum est Durand. in 4. d. 49. q. 2. num. 21. & 22. in hunc modum: si lumen gloriæ necessarium est, ut intellectum reddat efficacem, id debet præstare vno ex duobus modis: aut intendendo virtutem naturalem intellectus, aut concurrando cum illo, & ipsum adiuuando ad modum partialis agentis; sicut duo trahentes nauim se inuicem iuuant: sed neutro modo id fieri potest, ergo superuacuum est lumen: priori quidem modo id fieri nequit, tum quia intellectus noster non suscipit magis, & minus secundum intensiorem, & remissionem; præsertim, cum sit propria passio animæ: tum etiam quoniam si lumen intenderet intellectum, aut seipso intenderet formaliter, sicut vnus gradus caloris intendit alium; aut aliquo effectu à se producto, sicut Sol producit gradum aliquem caloris, præcedentem intendit, sed non potest seipso formaliter; quia lumen est alterius rationis, quam intellectus: non effectu aliquo producto; quia lumen in intellectu non producit gradum alium intellectus: ergo lumen gloriæ non tribuit virtutem intellectui priori illo modo, neque posteriori: nam si habitus luminis, & intellectus haberent locum vnus agentis, quilibet per se sufficeret ad eliciendam visionem: tamen non tam perfecte quam vterque simul: duo enim trahentes nauim ita complent vnum principium, ut quilibet per se aliquid in nauim posset efficere saltem impetum imprimendo: sic ergo intellectus per se posset visionem aliquam Dei habere, licet remissam, & minus perfectam, quam cum lumine, quod videtur absurdum.

Quod si aliquis dicat, neutro modo lumen cum intellectu comparari, sed illud esse necessarium, sicut lumen in oculo corporis ad videndum colorem; obstat ratio. Quia lumen corporeum non est necessarium ex parte obiecti, nec ex parte visus, aliqua enim in tenebris videntur: sed ex parte medij, ut per illud species rei visibilis transmittantur ad visum: hac vero ratione non videtur necessarium lumen gloriæ intellectui.

Solutur argumentum Durand.

Respondeo non requiri lumen priori illo modo, neque sicut lumen corporeum ad visionem corporealem, sed posteriori modo: ex lumine enim & intellectu fit vnum integrum principium visionis: quare lumine ipso victus, & efficacitas intellectus ad videndum Deum completur: sed non se habent lumen, & intellectus ad visionem, sicut duo trahentes nauim ad illam. Bifariam enim duo agentia ad eundem effectum conuenire possunt:

vno modo secundum eandem prorsus rationem in ipso effectu, quo pacto duo trahentes nauim, & duo ignes comburentes cōeunt: vtrique enim agenti in effectu producto eadem ratio, & generica, & specifica responderet, hoc est secundum eandem rationem ab vtroque effectus procedit: & hoc modo non se habent intellectus & lumen; hæc enim agentia talis naturæ sunt, ut vnum quodque per se possit eundem effectum secundum eandem omnino rationem genericam, & specificam producere: tamen intra eandem rationem minus perfectum: ideo quilibet ignis per se potest comburere: quilibet etiam trahens nauim potest ipsam trahere, vel ipsi impetum aliquem imprimere: at intellectus per se, aut lumen per se nihil omnino possunt in clarum Dei visionem.

Altero modo duo agentia ad eundem effectum vniuntur inuicem ordinata, ita ut in effectu eadem ratio ipsis non respondeat: non quod aliqua entitas effectus vni tribuatur, alio vero alteri: sed quia effectus talis naturæ procedit, ut vni esset à tali agente, non fieret talis naturæ & rationis, & hoc modo referuntur intellectus, & lumen ad visionem, sicut intellectus, & species talis obiecti ad cognitionem illius: ita enim à duobus nascitur visio, seu cognitio talis obiecti ut ea non esset intellectio, nisi fieret ab intellectu, neque esset talis obiecti, nisi esset à lumine, vel specie illius, ab hac enim determinatur virtus intellectus, & completur, ut huius potius obiecti, quam alterius eliciat visionem, ut c. 3. probatum est. Quocirca neutra causa quidquam potest operari, eo quod neutri complete respondeat effectus secundum omnem rationem genericam, & specificam. Huius rei habemus appositissimum exemplum in intellectu, & specie, ad quamvis intellectionem, quæ hoc modo necessario inter se comparantur.

Verum quia Durandus in vniuersum negat species intelligibiles in nostro intellectu, contra ipsum seruiat aliud exemplum de habitu charitatis, quem ipse non negat in voluntate; ita enim cum ea est principium dilectionis Dei, ut nec voluntas per se, nec habitus quidquam illius possit, quoniam dilectio Dei secundum quod dilectio est, exit à voluntate; quatenus vero Dei est, ab habitu charitatis determinante ipsam ad hoc potius obiectum, quam ad aliud, procedit.

Alterum argumentum est huiusmodi, inter facultatem cognoscentem & obiectum debet esse conuenientia, quod si facultas secundum se non satis sit obiecto accommodata, sed indigeat aliqua qualitate, ut circa illud operetur, opus est, ut saltem ea qualitate addita conuenientiam habeat cum illo, alioquin frustra adderetur qualitas illa; posito autem lumine gloriæ in intellectu, adhuc non est proportio & conuenientia illius cum Deo; ergo ad eliciendam visionem Dei frustra ponitur lumen; porro non esse proportionem inter intellectum, & Deum, etiam addito lumine gloriæ, patet, quia adhuc intellectus manet intra limites entis finiti, Deus autem infinitus est, & finiti ad infinitum nulla est proportio. Hoc eodem fere modo, arguit Durandus hoc argumento; si lumen gloriæ necessarium esset in intellectu, ad hoc esset, ut ipsum intellectum æquater obiecto; sed hoc nulla ratione lumen præstare potest; intellectus enim adhuc cum lumine finitus manet, Deus autem infinitus, ergo lumen frustra ponitur.

Ad

Quomodo intellectus & lumen se habeant resp. ad visionem.

40

41

Solutio.

Ad hoc argumentum ex doctrina tradita disput. 37. c. 3. & disput. 40. cap. 2. respondetur, inter obiectum, & facultatem cognoscentem, vel etiam appetentem debere esse proportionem, & aequalitatem quandam, non arithmeticam, & quantitatis, vel per modum quantitatis (hæc enim inter finitum & infinitum secundum essentiam esse nequit) sed debere esse aequalitatem, & proportionem in ratione obiecti, & potentia, ita ut obiectum intra latitudinem contineatur obiecti adæquati illius potentia, & ipsius potentia efficacitas circa illud completa sit: sic autem se habet Deus cum intellectu creato; continetur enim sub ratione entis, quod est obiectum adæquatum intellectus: deinde intellectus efficacitas completur virtute luminis gloriæ infusi, ut hæcenus in hac disput. & præcedentibus probatum est.

Thomas.
Tertius.
Solutio.
Capitulum.
43
Causa.

Hanc doctrinam tradit S. Th. 3. contra gent. c. 5. q. 4. ad 5. rationem, & Tertius sibi. & a. 1. huius q. ad 4. Scotus in 4. d. 49. q. vi. S. Respondeo in medio, Capreolus q. 4. art. 3. ad 3. Scoti contra primam conclusionem, & videtur esse Caietani in hoc art. 5. ad 1. Durandi, cum asserit, lumen gloriæ ponendum esse, non ut potentia æquetur obiecto secundum perfectionem eam augendo, sed ne excellentia obiecti impediatur efficacitatem potentia; hoc est, ut reddat intellectum efficacem ad videndum Deum, quod est, constituere intellectum in debita proportionem potentia cum suo obiecto.

DISPUT. XLIV.

Utrum lumen gloriæ possit fieri naturale alicui creaturæ.

Id minime fieri posse, cap. 1.

Visionem ipsam Dei connaturalem esse intellectui prædicto lumine gloriæ, cap. 2.

CAPIT. I.

Id minime fieri posse.

Dubium
maius
dicitur
supernaturale.

Scholastici communiter appellant lumen gloriæ formam supernaturalem, hoc est, supernaturale creatæ perfectionem propriam: sed cum supernaturale aliquid bifariam dicatur, ut disput. 214. cap. 3. ostendimus, unum supernaturale secundum suam substantiam, quod suapte natura super perfectionem cuiuscunque naturæ creatæ est, & nulli ex principijs proprijs convenit: alterum vero solum ex parte efficientis, quod extra naturalem, & communem ordinem rerum efficitur, ut restitutio visus cæco: hic non erit nobis disputandum, quomodo lumen gloriæ sit supernaturale, ex ijs enim, quæ in ea disput. dicimus, facile constabit, quidnam in hac re sentiendum sit: ergo solum hic explicandum erit, an lumen gloriæ, quod hic supponimus esse supernaturale ordinis, secundum substantiam, & naturam suam, possit alicui intellectui creato fieri naturale.

Veritas
S. Thom.
citra.

S. Thom. in art. 3. ad 3. plane docet, formam hanc non posse alicui intellectui creato fieri naturalem, quod perinde est, ac si diceret, nullum intellectum creatum ex principijs suæ naturæ solum, vel ex perfectione sibi naturaliter debita posse Deum videre, sed ad hoc indigere perfectione aliqua sibi super suam naturam addita, quale est lumen gloriæ. De ijs autem intellectibus, qui creati iam sunt siue hominum, siue Angelorum probatur. Si enim creatura aliqua natura sua Deum videre posset, suapte natura posset esse beata, at hoc fieri nequit:

Vázquez, in 1. part. Tomus 1.

nam eo ipso quod aliqua est natura creata, non potest non esse peccabilis, ut infra disput. 231. probabitur, & ideo indiget gratia Dei, ut à peccato liberetur, in filiam Dei adoptetur, & hæres beatitudinis constituatur, ac proinde nulla erit suapte natura beata: imò vero nullam esse veram beatitudinem naturalem creaturæ rationalis ibi ostendemus.

Quamvis autem in Clementina *Ad nostram* de hæreticis de solo humano intellectu definitum sit indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eadem mihi videtur ratio de Angelis: quare perperam Maior in 4. disput. 49. q. 4. in fine asserit certum non esse, an sit aliquis Angelus à Deo productus, vel produci possit, qui suapte natura possit Deum videre sine lumine aliquo superiori. Decipitur itaque Maior, primum quoniam si Angeli suapte natura videre possent Deum, possent etiam sua natura esse beati, atque ita gratia Dei ad beatitudinis consecutionem non indigerent. Deinde quia non videtur maior ratio de intellectu Angeli creati, aut alterius qui creati possit, quam de intellectu hominis, ut propria virtute Deum videre valeat: cum semper intellectus maneat intra limites creaturæ finitæ, & Deus infinitus sit secundum essentiam.

Maior.

Porro curiosi quidam Theologi plus æquo de rebus inquirentes, dubitant, an saltem aliqua natura rationalis creati possit, quæ sit etiam supernaturalis ordinis, ac proinde ei lumen gloriæ fiat naturale. Sed nescio, qua ratione hoc queratur: cum ratio supernaturalis, si recte consideretur, solum possit accidentariæ formæ convenire, non substantiæ creatæ. Nam substantia creata aut dicitur supernaturalis, quia est superior alia substantia, & sic innumeræ essent substantiæ supernaturales, aut quia à solo Deo producit per creationem, & ita omnes animæ, & Angeli essent supernaturales ordinis: quod nullus dicere audebit: superest igitur, ut soli formæ accidentariæ creatæ ratio supernaturalis conveniat: cum enim hæc forma sit perfectio substantiæ creatæ, quæ dicitur res naturalis, tunc dicitur supernaturalis, quando eam perficit supra id, quod ipsa, vel alia creata substantia ex suis principijs, & constitutione naturali postulat; ut infra disput. 214. cap. 2. latius explicabitur, ubi etiam ostendimus ex Caiet. doctrinam in hoc art. 5. circa solutionem 3. contra Scotum in 1. q. prologi & in 4. d. 49. q. 8. naturale, & supernaturale in formis non solum esse sumendum ex ordine ad causam hoc aut illo modo operantem, sed ex formis in se ipsis consideratis: quædam enim naturales dicuntur, quia perficiunt aliquam substantiam ex principijs & propria illius constitutione, alia vero supernaturales, quæ nullam substantiam hoc modo perficiunt.

Dubium de
substantia
supernaturali.

Solutio.

Caietani.

Dicunt aliqui, substantiam supernaturalem ideo produci, quia potest esse aliqua eiusdem ordinis cum Deo, sed nullo modo explicare possunt, quomodo sit eiusdem ordinis cum Deo & contra eos hoc argumentum fieri potest. Quantumvis illa substantia sit spiritualis, & sit eiusdem ordinis cum Deo, debet esse rationalis, sed nulla creatura potest produci, quæ non possit peccare, ergo nulla potest produci supernaturalis: nam si creatura peccare potest, & dampnari, quomodo erit eiusdem ordinis cum Deo? creati autem non posse naturam aliquam, quæ peccare non possit, probandum est, ex doctrina Patrum, & ratione infra disput. 231.